



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Widmung

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

AMPLISSIMO
PRAESVLI,

D. GVILIELMO
DEL CASTILLO, ABBA-
ti Bodeloensi, Ordinis
Cisterciensis.



*Vantum uniuersa Respubli-
ca Christiana Ordini vestro
sanctissimo, Praesul amplissi-
me, debeat, nemo praterito-
rum saeculorum vel medio-
criter peritus ignorat. San-
ctus Bernardus, alter velut familia ve-
stra parens ac conditor, Ecclesiam uniuersam
à periculosissimo Petri Leonis schisma-
te liberavit, & Innocentium secundum, le-
gitimum Christi Saluatoris nostri in ter-
ris Vicarium, Romana in sede restituit
ac collocavit. Nobilissimum Galliae regnum,
quod Albigenses haeretici spe iam deuora-
uerant, instituti vestri Abbates XII. à
diabolica seruitute vindicarunt, & primi
velut signum quoddam ad oppugnandam ac
debellandam gentem impiam sustulerunt.
Fortissimi Equites vestri, Calatraua, Al-*
can-

cantaræ, Christi, Auifij, & Montefiæ, Castellam, Lusitaniam, Valentiam, aliaque Hispaniarum regna Mauris sua virtute eripuerunt. Beatus Petrus Castronouanus, martyr, & primus hereticæ prauitatis Inquisitor, ad comprimendos in Gallia Albigenfes, sanctiffimum tribunal primus constituit: cui deinde alij ex Ordine vestro sodales atque Abbates magna cum laude præfuerunt. Ab his velut lampada accipiens S. Dominicus, Prædicatorum antesignanus ac primipilus, idem postea munus sustinuit, hodieque sodales Dominicani in Italia, Hispania, alijsque orbis Christiani prouincijs, magno vniuersæ Ecclesiæ bono, sustinent.

Hæc & alia maiorum vestrorum præclara facinora, post Origines Monasticas in ordinem redactas, sacram superiorum temporum historiam percurrenti mihi, (qua quidem capior in primis) cum occurrissent; operæ pretium facturum me putavi, si ea breuiter digesta ad calcem Originum publicarem: eò magis, quòd paucis hæc nota aut saltem animaduersa obseruarem. Benigno itaque vultu istud nostrum Originum Monasticarum Auctarium accipe; in quo plurimos vitæ sanctitate morumque

rumque

rumque integritate spectatos ordinis vestri Episcopos, Abbates, ac monachos reperies, per quos ad Abbatiale munus ceu ad cotem animum exsuscites interdum & acuas: etsi sponte currenti calcas adhibendum non existimem. Nota enim toti Belgica pietas tua, nota modestia, nota doctrina, nota denique industria, animique magnitudo, qua novum à fundamentis templum in urbe Gādensi excitatum ad verticem usque produxisti, & stabilem fixamque tuis in Flandria metropoli sedem ac domicilium fixisti. An laude & testimonio nostro hac fieri maiora queunt? ne indigent quidem, nec tua id singularis modestia patitur. Vale itaque, & pignus hoc meae erga Te observantiae, quamdiu quidem exstare poterit, aeternum habe. Bruxellis anno gratia cl. lxx. XX. Idibus Ianuarijs.

R^{da}. admodum Ampl.^{nis}
Vestrae studiosissimus
Aub. Miræus

IN